



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXXI. Vtrum diligere super omnia Deum, vt authorem naturæ, sit
actus ita in substantia, & ordine suo supernaturalis, vr excedat vires
naturales liberi arbitrij creati, & ideo sine auxilio gratiæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

quirit plures condiciones, scilicet, quod mutua sit, & cum redamatione, quæ non lateat amicos, & ut inter eos sit conueniens proportio, & communicatio, ut Aristotel. tradit lib. 8. Ethicorum cap. 2. & sequentibus. Loquendo ergo de amicitia hoc posteriori modo, verum fortasse est, inter Deum, & hominem in puris naturalibus non potuisse veram amicitiam intercedere, quod disputatur latius in tractat. de Charitate, ad præfens enim nihil refert. In hoc ergo sensu dato antecedente, negatur consequentia; Aristoteles enim nono Ethicorum, cap. 5. dixit benevolentiam quidem esse similem amicitia, non tamen esse amicitiam, quia nimirum benevolentia potest consistere in simplici actu voluntatis sine alijs conditionibus amicitia, & ita posset esse ad Deum in homine in puris naturalibus. Vide D. Thomam. 2. 2. q. 27. artic. 2.

16.
Ad 2. ratio
nem ibid.

Ad secundam rationem respondet D. Thomas 1. parte, quest. 60. art. 5. ad 1. & clarius 2. 2. questione 26. art. 3. ad primum, & secundum, illa axiomata præcipue procedere in bonis particularibus, non vero respectu boni vniuersalis, in quo totum bonum continetur, & à quo omne bonum particulare pendet, ut est Deus. Vnde cum dicitur, amabile bonum, vnicuique autem proprium, dupliciter id potest intelligi, primo quod semper ratio amandi aliquod bonum sit, quia est proprium, ita ut necesse sit, naturalem amorem semper reflecti, & terminari ad ipsum amantem, & hic sensus est falsus, & alienus à mente Aristotelis, cum eius doctrinæ repugnet, ut ostensum est. Secundo intelligi potest, neminem amare bonum alicui, nisi illum, cui bonum amat, tanquam quid proprium, & sibi coniunctum, & quasi vnum secum reputer, & sic verum, vnumquemque amare bonum proprium, sic enim mater amat filium, & vnusquisque amat sibi coniunctos, vel sanguine, vel consuetudine, vel similes, &c. Et sic etiam amor naturalis tendit ad Deum, qui ita est commune bonum, ut vniuscuiusque sit magis, quam proprium, propter dependentiam, quam ab ipso habemus. Aliud vero axiomata, quod amabilia ad alterum procedunt ex amabilitate ad se, alium sensum habet, nimirum, benevolentiam, quam exhibemus alijs, commensurari, & quasi habere pro regula benevolentiam ad se ipsum, nam illa bona debemus alijs velle, quæ nobis rationabiliter cupimus. Et hæc regula vera est inter personas particulares, sicut de amore ad proximum dicitur, debere vnumquemque proximum diligere, sicut se ipsum. Et in hoc sensu loquitur est Aristoteles; illa vero regula non habet locum, ut dixit D. Thomas, in Deo, qui est vniuersale bonum, nam ibi potius dilectio ipsius Dei est regula diligendi se ipsum, ut amor sit honestus, & secundum rectam rationem naturalem. Et hinc etiam est, ut possit hic amor Dei esse benevolentia; imo & super omnia intra latitudinem amoris naturalis, ut in sequenti capite dicam.

17.
Ad 3. ratio
nem in n. 4.
respondetur
ex senten
tia aliorum.

Tertia ratio non potest in præfenti plene, & exacte dissolui, quia in ea petitur, qualis sit differentia inter amorem Dei naturalem, & infusum, quæ pendet ab exacta cognitione vtriusque extremi, nondum aut tractauimus de amore infuso, & ideo vsq; ad librum sequentem non possumus discrimen illud perfecte declarare. Nunc solū aduertimus, Altiſiodorensis citato loco c. 6. concedere, amorē charitatis, & naturalem esse eiusdem speciei quoad substantiam, & entitatem actus, q̄ sententiā amplectuntur Scot. Durand. Gabr. & multi alij Scholastici antiqui; imo et Caiet. & Soto in locis allegandis in duobus capit. seq. Iuxta q̄ sententiā, si vera esset, facilis esset responsio ad argumentū: nam ex vnitare obiecti formalis solū potest inferri vnitatis specificæ vtriusque amoris quoad substantiam actus, & nihilominus poterit seruari discrimen inter amorē infusum, & acquisitū secundū aliquem alium modū, ut dicti authores volunt. Alij vero e contrario putant, actū naturalem, & supernaturalem posse esse in substantia sua specie diuerſos, etiam si idem habeant

obiectum formale prout ex motiuo amandi sumitur, quia possunt differre ex modo tendendi, seu ex principijs proximis, à quibus præcedunt.

Hos autem modos dicendi refero, non quia mihi probentur (illos n. in lib. seq. refellam) sed ut declarē, quamuis ad fidē spectet, dari actū aliquem charitatis Dei, qui per vires liberi arbitrij fieri nō possit sine auxilio gratiæ; nihilominus ad doctrinā fidei non pertinere quomodo ille actus, vel in entitate, vel in obiecto formali distinguatur à dilectione Dei naturali. Nos autē admittimus distinguere, & in specie, ac substantia suæ entitatis, & in obiecto formali. Quod quidem in actu naturali benevolentia imperfecto cōparato ad amorē charitatis super omnia facillime intelligitur, quia simplex affectus, & voluntas conditionata specie differre potest à voluntate efficaci, & perfecta ex modo tendendi, et si circa idē bonū versentur. Item facile intelligitur benevolentia naturalis ad Deū, quo ametur Deo aliquod bonū ordinis naturalis, ut verbi g. laus ex sola eius naturali cognitione profecta, vel q̄ hoc modo colatur, & honoretur ab hominibus, quod obiectum ut ratione naturali regulatū, naturale est, & distinctum ab obiecto charitatis infusæ; hoc ergo satis nunc est ad distinctionem huius amoris, quantum ad defensionem assertionis posse desiderari potest: nam de distinctione harum dilectionū, si vtrūq; sit super omnia, multo plura dicenda sunt in lib. seq.

Quarta ratio sumebatur ab inconvēniens. Et in primis dico, nullum esse inconvēniens, quod peccator, & infidelis, si verum Deum aliquo modo cognoscat, illū et amet aliquo affectu benevolentia imperfecto, & diminuto. Imo credimus, id esse frequentissimum, quia talis amor per se non repugnat cum statu peccati, non est n. amicitia, sed simplex quædā benevolentia, de qua recte potest intelligi illud Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, &c. Deinde neq; secundum inconueniens in rigore sequitur, scilicet, q̄ amor Dei super omnia sit et naturalis: nā potest dari amor benevolentia supernaturalis, qui non sit super omnia, sed solū affectius, vel diminutus, ut sequenti capite explicabo, & latius in lib. seq. Idemq; cum proportionē verū est in amore naturali, nam ex eo, quod imperfectus actus sit possibilis per vires naturæ, non sequitur et perfectus esse possibilē. Veruntamen etiam si illatio non sit bona; nihilominus credimus, cōsequens esse verum, nimirū, dari posse actum naturalem dilectionis Dei super omnia, ut capite sequenti ostendemus. Vnde ad tertium inconueniens negatur sequela, quia propria dispositio ad gratiam est infusa dilectio charitatis, quæ est longe excellentior, non autem naturalis dilectio, quæ intra ordinē benevolentia imperfecta est, huius aut rationē in c. 26. reddemus.

CAPVT XXXI.

Utrum diligere super omnia Deum ut auctorem naturæ sit actus ita in substantia, & ordine suo supernaturalis, ut excedat vires naturales liberi arbitrij creati, & ideo sine auxilio gratiæ elici non possit?

HÆC quæstio communiter tractatur solum de amore benevolentia, habet tamen etiam locum in amore concupiscentia Dei, nam quidam, ut refert D. Th. quod lib. 1. art. 8. dixerunt, posse hominem diligere Deū plusquam se ipsum, ac proinde super omnia amore concupiscentia, licet nō benevolentia, seu amicitia. Eandemq; opinionē de Angelis refert idem D. Th. 1. p. q. 60. art. 5. Prius vero tractabimus questionem de amore benevolentia, iuxta vñtatum, & distichiohem, magisq; necessarium sensum, & in fine pauca de amore concupiscentia addemus. Oportet autem aduertere non esse eandem questionem, an actus huius dilectionis naturalis sit, & an possit fieri à libero

ro arbitrio sine gratia in hoc vel illo statu: nam, vt ex superioribus capit. constat, aliqui actus sunt ordinis naturalis, qui propter difficultates occurrentes interdum a libero arbitrio fieri non possunt sine gratia, quam supra vocauimus impossibilitatem moralem, seu accidentalem: nam si actus naturalis non sit, tunc erit per se, & physice impossibilis libero arbitrio gratia destituito, & hoc est, quod in presenti inquirimus.

Prima sententia est, huiusmodi actum dilectionis esse in se omnino supernaturalem. Ita videtur sensisse illi Theologi, qui (vt D. Th. refert) dixerunt, etiam Angelū non posse viribus naturalibus diligere Deum, super omnia, etiam vt authorem naturæ, non enim alia ratione moueri poterūt, nisi, quia illum actum tantæ perfectionis esse putauerunt, vt omnem ordinem naturalium rerum excedat, & videtur D. Thom. referre voluisse Alessem in 2. p. q. 30. memb. 1. ar. 2. §. 2. præsertim ad 2. vbi & de Angelis, & de dilectione naturali super omnia loquitur, & pro eadem sententia referunt alij pro prima opinione allegati a præcedenti, eam tamen præcipue defendit Vazquez disp. 190. per totam, & disp. 195. c. 2. & 5. Fundamentū eius est, quia non possunt distinguī duæ dilectiones benevolentie Dei super omnia, vna supernaturalis, & alia naturalis, sed est certum esse quandam dilectionem Dei super omnia supernaturalem, & per se infusam, quam charitatem appellamus; ergo nulla est dilectio Dei super omnia naturalis. Maior probatur eisdem argumentis, quibus cap. præced. probatur non dari duplicem benevolentiam Dei naturalem, & supernaturalem, sed illis iam ibi satisfactum est. Nunc verò specialiter probare oportet illud, *super omnia*, adde- re actui perfectionem excedentem ordinem, & vires naturæ, ac proinde amorem ita perfectum, quocumque modo natiur in bonitate Dei propter se ipsam, non posse esse naturalem. Probatur autem 1. ex Arist. lib. 9. Ethic. c. 8. vbi quæstionem similem proponit, vtrum oporteat seipsum amare maxime, an aliquem alium, & in summa cōcludit, amore honesto studiosum hominem se ipsum magis diligere, nam licet studiosus multa faciat in gratiam amicorum, aut patriæ, semper id facit, quia sibi honestum est, & ita illo etiam amore se ipsum maxime diligit. Et inde sumptum est illud axioma, quod amabilia ad alterum regulantur ex amabilibus ad se, cui consonat illud aliud ex lib. Ethic. cap. 2. *Amabile bonum, vnicuique autem proprium*. Ex hoc ergo principio colligitur, amare Deum propter se ipsum, & super omnia, esse supranaturalem inclinationem hominis, vel Angelī, quia iuxta naturalem inclinationem mensura amoris sumitur ab ipso diligēte, vt in vnoquoque genere illud amet, quod sibi bonum est, vel honestum, vel delectabile, vel vtile; ergo impossibile est, vt naturaliter inclinetur ad amandū aliquid supra se ipsum: ergo talis amor etiam respectu Dei excedit vires cuiuscunque voluntatis creatæ, quia vires naturales appetitui, seu inclinationi naturali commensurantur.

Secunda ratio fit, quia si amor Dei super omnia naturaliter concipi posset ex cognitione bonitatis Dei, vt authoris naturæ, etiam proposita bonitate Dei, vt authoris gratiæ, posset voluntas suis viribus prodire in actum dilectionis Dei super omnia propter eandem bonitatem, & ita amor etiam perfectissimus charitatis Dei posset viribus naturæ fieri, quod est contra fidē. Probatur sequela, quia quod bonitas Dei proponitur vt excellentior, eo magis mouet ad sui amorem. Nec refert, quod Dei bonitas, vt est principium gratiæ, proponatur nobis per fidem, vt sit supernaturalis, quia si bonitas Dei ad Deum ipsum cōparetur, non est supernaturalis ipsi, sed maxime connaturalis: si autem nobiscum conferatur, quacumque ratione spectetur, etiam vt est principium naturalium rerū, infinitè superat, & excedit humanam naturam: ergo si hoc non obstante possumus diligere Deum super omnia dilectione naturali, propter bonitatem ei⁹, in-

Pars 1.

feriori modo (vt ita dicā) spectata, poterimus etiam naturali dilectione illum diligere propter eandem bonitatem excellentiori modo consideratam, quia hæc maior excellentia non retardat affectum, sed potius magis impellit.

Tertia ratio fit, quia sequitur talem actum dilectionis, vel esse sufficientem dispositionem ad gratiā, vel saltem posse esse in homine simul cū peccato mortali: vtrumque autem est inconueniens: ergo. Sequela patet, quia si talis actus est naturalis, poterit esse in homine peccatore, vel etiam in infideli, qui Deum cognoscat vt authorem naturæ, & summum bonum in illo ordine, quia quilibet actus naturalis potest fieri sine gratia, saltem habituali. Vel ergo talis homo eliciens illum actum per illum iustificatur, & si actus ille erit vltima dispositio ad gratiam, quod dici non potest: vel non iustificatur, & sic permanebit homo simul in peccato, & diligēs Deum super omnia, quod videtur absurdum, nā amor Dei super omnia est perfecta amicitia ad ipsū, non potest ergo simul esse cum peccato, q̄ inimicum Deo hominem constituit. Vnde addi potest confirmatio, seu quarta ratio, quia sequitur, hominem etiam in statu naturæ lapsæ posse viribus solius liberi arbitrij diligere super oīa Deum vt authorem naturæ, quia ex parte actus non est repugnantia, vnde neque ex parte voluntatis est impotentia per se, id est, carentia physica facultatis, seu actiuitatis, difficultas autem accidentaria ex impedimenti extrinsecis non semper occurrit: ergo poterit homo in hoc statu interdum suis viribus elicere hunc actum, quod non videtur concedendum.

Nihilominus contraria sententia est communis Theologorum: distinguunt enim duplicem dilectionem Dei super omnia, vnam Dei, vt naturaliter cogniti, alterā Dei, vt per fidem reuelati, vel vnam Dei, vt authoris naturæ, & vltimi finis, proportionati naturæ, & aliam Dei, vt authoris gratiæ, & vltimi finis excedentis naturam, & priorem dicunt esse naturalem, posteriorem verò infusam, & supernaturalem. Ita docet D. Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 3. & tractando de Angelis. 1. parte, quæst. 60. artic. 5. & quodlib. 1. artic. 8. & alijs plerisque locis, & sequuntur omnes Thomistæ Conrad. Caietan. Medina, & alij dicto artic. 3. & Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 22. & ex antiquis Theologis eandem distinctionem, & doctrinam tradidit Altfiodor. lib. 2. Summ. tract. 1. cap. 4. & Alesius, vel sibi contrarius, vel se magis declarans secunda parte, quæst. 31. memb. 3. & latius quæst. 91. memb. 1. artic. 1. ad septimum, Bonauent. in 2. distin. 3. artic. 3. quæst. 1. ad 3. & Richard. ibi artic. 7. quæstione 1. in corpore, & ad 1. & dist. 28. art. 1. quæst. 1. & idem tenent Scotus in 1. dist. 17. q. 2. & in 2. dist. 28. q. 1. & communiter alij Scholastici, quos cap. sequenti referemus, quia non solum dicunt, hunc amorem esse naturalem, sed etiam elici posse sine auxilio gratiæ ab homine in natura lapsa. Eandem sententiam late docet Antonin. 4. part. titulo 6. capitulo tertio, §. secundus, tertio, & quarto, Abulenſis capitulo decimo nono, Matthæi quæstione 177. Et hanc sententiam veram existimo: nam licet à Patribus non tradatur, non est tamen illis contraria, vt cap. præced. tactum est, & colligi potest ex Bulla supra citata Pij V. quatenus ab oppugnatione Baij defendit distinctionē duplicis amoris Dei, naturalis, & supernaturalis. Nam licet ibi non addatur particula super omnia, nihilominus Baius præcipue in hoc amore illam distinctionem reprobat, idē enim dicebat hunc amorem Dei naturalem nō defendi sine iniuria crucis Christi. Imo ex ipso colligitur, Deinde quoties Patres dicunt, amorem charitatis esse consentaneum naturali inclinationi voluntatis, quia natura sua est propensa ad Dei amorem, indicat prædictam distinctionem, & esse aliquem amorem Dei metaphoricum innatum ipsi voluntati per naturale pondus ad Deum, & consequenter esse aliquem amorem elicium Dei naturalem, & commensura-

FF

tum

tum huic appetitui innato voluntatis: nam cum voluntas sit vniuersalis appetitus perfectus, & vitalis, potest per actum elicito naturalem amare, quidquid metaphoricè amat per naturalem inclinationem.

6.
Probatur 1.

Et hinc viterius infertur, hunc actum naturalem amoris Dei esse posse super omnia, quia est cõformis, & quasi adequatus naturali appetitui voluntatis, sed naturalis appetitus, seu pondus voluntatis ad Deum super omnia tendit; ergo & actus ipse naturalis dilectionis. Et hoc discursu sæpè vritur D. Thom. in citatis locis, & 2. 2. q. 26. artic. 4. vbi minorem propositionem ostendit, tum ex rectitudine naturalis inclinationis; nam cum sit data ab auctore naturæ, esse debet optimo modo instituta; tum etiam exemplo, quia manus mouetur naturaliter ad defendendum caput, etiam cum periculo suo; ergo signum est inclinari magis ad vniuersale bonum totius, quàm ad proprium; ergo cum Deus sit vniuersale bonum, voluntas magis inclinatur ad illud, quàm ad reliqua. Scõto verò, & alijs non placet illud exemplum, quia ille motus manus non est ex impetu naturæ, sed ex motu voluntatis, vel appetitûs media phantasiâ. Sed hoc non ignorauit D. Thom. tamen quia illa motio valde naturalis est, inde rectè intulit, illam esse secundum inclinationem partis ad bonum totius. Atque hac ratione dicitur amor charitatis esse consentaneus naturæ, quia non destruit inclinationem eius, quod faceret (vt notauit Alenf.) si natura inclinaret ad diligendum se, plusquam Deum, & charitas ad diligendum Deum, plusquam se. Non ergo ita est, sed vtrique est ad Deum super omnia, & in hoc est charitas cõformis naturæ, quamuis altiori modo illam eleuet, ac perficiat. Et hac ratione dixit Basil. in regulis fusiùs disputatis, interrogat. 2. in natura esse vim inlitam, quæ in se ipsa amandi necessitudinis initia continet. Et inde et infert Bernard. in lib. de Diligendo Deum, inexcusabilem esse omnem infidelem, si non diligit Deum ex toto corde, quia clamat innata, & nota ratio in iustitia, quæ ex toto se illum diligere debet, cui se totum debere non ignorat.

7.
Probatur 2.

In quibus verbis alia ratio cõmunis in hac materia indicatur, quia præceptum diligendi Deum super omnia, est præceptum morale, pertinet ad legem naturæ; ergo actus ille, de quo datur tale præceptum, naturalis est, quia lex naturalis non datur de supernaturalibus actibus. Neque locum habet cõmunis responsio, vt actus præcipiatur, satis esse, vt sit possibilis per gratiam, quia quod per amicos possumus, simpliciter possumus. Hac, inquam, responsio non rectè in præfenti accommodatur, quia nondum inquirimus, quibus viribus possit fieri talis actus, sed cuius ordinis, & naturæ ipse sit. Sic autem euidentius est, naturalia præcepta non dari de actibus excedentibus naturæ ordinem, & physicam virtutem (vt ita rem declararem) naturalium potentiarum, quia lumen naturale nihil de his actibus assequi potest, nec de illis aliquid dicere, præcepta autem naturalia sunt ex dictamine rationis naturalis.

8.
Altera repositio.

Sed forte quis dicat, rationem naturalem dupliciter considerari, scilicet, vel per conformationem ad puram naturam rationalem, vel per conformitatem ad naturam rationalem eleuatam per gratiam, præceptum autem hoc non esse naturale priori modo, sed tantum posteriori, id est, non dictari per nudam rationem fundatam in solo lumine naturali intellectus, sed per rationem, vt eleuatam, & illustratam lumine fidei. Sed hæc doctrina, quatenus negat, esse hoc præceptum naturale, etiam per comparisonem ad puram naturam rationalem, est contra communem sententiam Theologorum, & contra sententias Patrum, quas adduximus, & sine dubio est falsa, tum quia incredibile est, hominem, vel Angelum in pura sua natura creatum non fuisse habituros præceptum diligendi Deum propter se, & supra se ipsos, quia hic amor est debitus Deo, & ratione suæ eminentissimæ

bonitatis, & ratione creationis, præsertim quia hoc fecit ad imaginem, & similitudinem suam. Tum etiam quia hoc præceptum est fundamentum omnium præceptorum Decalogi, & maximè necessarium ad instituendam moralem vitam honestam: at præcepta Decalogi continent legem merè naturalem, etiam per comparisonem ad puram naturam rationalem, vt est indubitatum apud omnes, & ferè per se notum; ergo etiam præceptum diligendi Deum super omnia, est naturale eiusdem ordinis. Consequentiā optimā est, quia alias in pura natura ablato illo fundamento non subsisterent alia præcepta. Maior item facile probari potest, quia sicut præcepta secundæ tabulæ Decalogi fundantur in amore proximi, ita præcepta primæ tabulæ fundantur in amore Dei. Deinde ipse amor proximi, & præceptum eius in amore Dei fundatur; imò in ipsius præceptis moralibus amor Dei imbibitur. Idem enim transgressiones talium præceptorum sunt peccata mortalia, quia Dei amorem excludunt. Vnde si in pura natura non esset præceptum dilectionis Dei super omnia, nullum esset peccatum mortale præsertim contra proximum, quia nec contineret odium Dei, neque à Deo auerteret. Et idem etiam dixi, sine præcepto dilectionis Dei non possem moralem vitam rectè institui, quia non possent cetera præcepta moralia habere integram, & perfectam vim obligandi. Hæc autem omnia valde sunt contraria ipsi naturæ rationali, secundum se, ac purè sumptæ; ergo è contrario fatendum est, aliquam dilectionem Dei super omnia esse de præcepto legis merè naturalis, ac proinde aliquam talem dilectionem esse actum naturalem.

Vltimò, vt res ipsam, & rationem magis à priori explicemus, declarare oportet, quid significet illa particula, *super omnia*, vel quid addat amori beneuolentiæ Dei minus perfectæ. Nam cum ostensum sit amorem beneuolentiæ Dei ex vi huius præcisè rationis non esse supernaturalem actum, si illud, quod addit particula, *super omnia*, non est aliquid supernaturalis ordinis, profectò non est cur talis amor naturalis esse non possit. Particulam ergo illam, *super omnia*, declaravi quantum valui in tomo quarto, de Penitentia, disputatione tertia, sectione nona, & disputatione quarta, sectione quarta, & quæ ibi de contritione diximus, ad amorem cum proportionem applicari possunt. Potest ergo dici, vel cogitari, amorem Dei dici super omnia, ratione intensiōis, quia est maxima, vel respectu conatus possibilis voluntati, sicut de contritione opinatus est Adrianus, vel respectu cuiuscunque amoris creaturæ, sicut de eadem contritione Bonauent. Petrus Soto, & alij opinati sunt. Veruntamen si intelligatur, hoc esse necessarium ad amorem super omnia, falsa est sententia, quia verus amor Dei etiam ex charitate neque excessum in intensiōe, neque certum aliquem gradum intensiōis requirit, vel ex natura sua, vel ex obligatione alicuius præcepti, vt ibi latè probaui. Deinde, quia hæc intensiō, licet necessaria non sit amori, vt sit super omnia, non tamen illi repugnat, vt per se constat, etiam tunc non extrahit actum ab ordine suo, quia non est altioris ordinis intensiō actus, quàm entitas eius. Quapropter licet daremus amorem constitui super omnia per gradum intensiōis, siue absolutum, siue comparatum, non inde fieret, vt dilectio sit supernaturalis actus, quia illa intensiō, vt dixi, esset eiusdem ordinis cum substantia actus, & voluntas posset totum suum conatum ad illam adhibere, vel in amore aliarum rerum minorem conatum apponere.

Alio ergo modo communiter explicatur illa particula, vt denotet excessum amoris non intensiōem, sed appetitiuum, vt vocant, id est, vt Deus ametur tanquam bonum, quod in maiori pretio, & æstimatione habetur, quàm cetera omnia, quæ amantur. Quæ expositio generatim sùpra, & rectè intellecta vera est. Oportet tñ exponere, quando amor censetur tendere

tendere in Deum cum illo pretio, & affirmatione. Videtur enim non posse haberi ille modus amoris super omnia, sine actuali consideratione intellectus conferentis bonum diuinum cum alijs, & præponentis illud cæteris, idq; offerentis voluntati tanquam diligibilis reliquis, & consequenter ex parte etiam voluntatis necessarium esse ad amorem super omnia, vt voluntas actu feratur in Deum, vt comparatum ad reliqua bona, proponendo illum cæteris omnibus præferre, & quodlibet malum pati, ne ab illo separetur.

Nim placet.

Sed licet hic modus amandi non sit impossibilis, imo possit esse vilis ad exercendum, & perficiendum amorem, nihilominus affirmari non potest, esse necessarium ad amorem super omnia. Quia nullum nobis datum est præceptum faciendi huiusmodi comparationem, neque ex natura rei est necessaria, quia vnusquisque actus, vel habitus potest perfecte tendere in obiectum suum absolute, & simpliciter propositum. Imò sæpè talis consideratio, & collatio potest auertere voluntatem, & idè interdum est cauenda propter periculum, vt in dicto loco de Penitentia. latius dixi. In præfenti verò addo, etiā in dilectione super omnia Dei vt auctoris naturæ illa comparatio expresse fiat intra terminos naturalis cognitionis, inde etiam nõ eleuari actum ad ordinem supernaturalium actuum, quia licet illa comparatio explicite non sit necessaria, virtute includitur in amore super omnia modo statim explicando, & idè illud explicitum non addit aliquid supernaturale supra implicitum. Item quia ex vi naturalis rationis cõparatio illa fieri potest, vel ad omnia bona creata, quæ naturaliter cognosci possunt, vel ad mala illi amoris contraria, & hoc satis est ad naturalem amorem super omnia Dei, vt est finis naturæ; ergo etiam sic explicando particulam, *super omnia*, nihil supernaturale additur actui amoris.

11. Tertia expositio.

Est ergo tertia expositio, vt amor Dei dicatur super omnia appretiatuè, quando amor tendit in Deū propter solam bonitatem eius, complacendo in illa ex solo affectu ad eundem Deum, quia cum bonitas illa superet oia bona, si in illa sola nitamur ad amandum Deum, & complacendum in illo, eò ipso talis amor est super omnia ex vi sui obiecti formalis. Sicut assensus fidei propter auctoritatem Dei, eò ipso est supra omne credibile ex vi obiecti, & adoratio Dei propter excellentiam eius est supra omne adorabile ex vi obiecti, licet actuales comparationes non fiant.

12. Hic admittitur, non obstat assertio.

Qua explicatione admissa, etiam particula, *super omnia*, potest non addere aliquid supernaturale, nam etiam bonitas Dei, vt auctoris naturæ, & vt reluctet per creaturas, est excellens quædam bonitas de se sufficiens ad firmandum affectum in Deum supra omne amabile præter ipsum, vel ipsi repugnans: amor autem naturalis Dei fundatur in bonitate Dei sic spectata, quæ sub tali ratione sub naturali obiecto adequato voluntatis continetur: ergo modus ille super omnia non magis est supernaturalis, quàm sit ratio illa motiua, seu obiectiua amandi Deum propter se, & complacendi in ipso.

13. Extenditur dicta expositio, ut est ostenditur nec omnem amorem benevolentiam esse super omnia.

Verum tamen in illa explicatione superest scrupulus, quia ille modus complacendi in bonitate, & de bonitate Dei inuenitur in amore benevolentia Dei, qui non est super omnia. Vnde duplex solet distingui, & merito amor Dei, vnus affectiuus tantum, quo voluntas complacet in Deo propter suam infinitam bonitatem, & perfectionem, vultq; & gaudet, tantam bonitatem inesse Deo. Non tamen extenditur hic amor ad omnia, quæ amanda sunt Deo, & propter Deum. Alius est amor, qui obediens dicitur, quia non solum vult Deo bonum, quod in se habet, sed etiam vult Deo placere in omnibus, & cõsequenter vel formaliter, vel virtute fugit quidquid diuinæ bonitati, voluntati, aut honori cõtrarium est. Primus ergo amor reuera est benevolentia ad Deum, quia vult Deo bonum propter se, est etiam aliquo modo summus amor, vtique obiectiuè, vt aiunt, quia vult

Pars 1.

Deo summam quandam bonitatem, & ita dici etiam potest aliquo modo super omnia, quatenus nullus potest esse amor benevolentia, qui rei amata tantam, vel talem bonitatem velit, & ita homo per illum amorem vult Deo maiorem bonitatem, quàm cæteris rebus. Et nihilominus amor ille non est simpliciter super omnia, quia potest esse simul cum peccato mortali; imò etiam cum actuali affectu contrario Deo, & amicitia eius. Et idè licet ille amor sit benevolentia, non potest dici amor amicitia, quia per se non excludit, neque vitare facit omnem offensam rei amata, quod ad amicitiam spectat.

Igitur amor super omnia Dei esse debet amor obediens, quo voluntas velit Deo non solum bonitatem, quam in se habet, sed etiam propter illam velit Deo placere in omnibus, & fugere omnia contraria, solum vt ei complaceat. Nam hic amor in primis nititur in summa Dei bonitate propter se ipsam, & ita ex hac parte est summus. Deinde complectitur omne bonum diuinum, non solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum, & ex hac parte est etiam super omnia, videlicet, quæ possint Deo displicere, aut ab illo quacunque ratione auertere. Denique de se est amor amicitia, quia perfecte vnit voluntatem amantis voluntati Dei, & de se excludit omnem Dei offensam saltem grauem, quod ad amicitiam necessarium est, & sufficit. Et hac ratione talis amor habet reputantiam cum actuali affectu peccati, & includit formalem, vel virtualem voluntatem seruandi mandata, iuxta verbum Christi Ioannis 14. *Qui diligit me, mandata mea seruabit*, cum similibus. Vnde etiam ad hunc amorem super omnia necessarium est, vt sit per absolutum decretum, seu propositum voluntatis, quod explicatur hac voce: volo Deo omne bonum eius, seu illi placere in omnibus, quia sola velleitas vix meretur nomen amoris, præsertim vbi actus perfectus est in potestate voluntatis. Sic ergo satis explicatum est, quid sit amorem esse super omnia, seu quid per particulam illam importetur.

Ex hac verò declaratione non minus concluditur ratio intenta, quàm ex alijs, si aduertamus, illam particulam, *super omnia*, non esse cum æqualitate accipiendam in amore infuso, & naturali, sed cum proportionem: nam in vtraque includit omnia, quæ reputant tali dilectioni, tamen respectu dilectionis naturalis omnia illa continentur in naturali ordine: supernaturalis autem dilectio includit absolute omnia, cuiuscunque ordinis sint. Quod declaratur in hunc modum, quia dilectio naturalis Dei super omnia includit voluntatem seruandi omnia præcepta, non simpliciter, sed naturalis ordinis, & consequenter de se tantum vult vitare omnia mala contraria his præceptis, quia illa sola naturaliter apprehendi possunt, vt amor Dei contraria: at verò dilectio supernaturalis includit voluntatem seruandi omnia præcepta etiam supernaturalia, & ita vniuersalius est super omnia Deo, eiusue voluntati contraria. Hinc ergo intelligitur particulam, *super omnia*, vt pertinet ad naturalem dilectionem, non includere aliquid excedens ordinem rerum naturalium: nec superans vires, seu potentiam physicam liberi arbitrii creati, quia totum hoc, scilicet, seruare omnia præcepta naturalis ordinis, & nihil in toto naturali ordine amare, quod à Deo possit auertere, hoc, inquam, totum naturalis ordinis est, & de se potest cadere sub absolutum propositum voluntatis creata, si alia impedimenta extrinseca, non obstant; ergo talis amor simpliciter naturalis esse potest.

Hinc verò obiter intelligitur, hanc dilectionem super omnia, quæ tantum naturalis est, comparata ad dilectionem charitatis, non simpliciter (vt ita dicam) esse super omnia, sed secundum quid, quia cum sit inferioris ordinis, non extenditur ad ea, quæ sunt superioris ordinis, sed tantum ad ea, quæ sunt ordinis naturalis. Amor autem infusus, cum sit superioris ordinis

Eff 2

13. Quis sit proprius amor Dei super omnia.

14. Exproxima, vera, expositio, quæ ratio tertia formari debeat pro assertionem.

15. Corollariū. Amor amicitia naturalis est super omnia, secundum quid, super naturalem.

valis autem
simpliciter.

16.
2. corollar.
Angelus, qd
homo in sta-
tu integra-
tura pos-
sent illum a-
morem na-
turalem na-
turaliter eli-
cere.

Improbatur
vero quoad
demonies.

17.
Rursus id o-
stenditur de
hominem in
dicto statu.
D. Thom.
explicatur.

Ratio Divi
Thom.

divinis complectitur omnia, etiam quæ sunt naturalis ordinis, quatenus possunt à Deo quocumque modo auertere, vel ad ipsum ordinari, & in hoc sensu dico, hunc amorem esse super omnia simpliciter, illum vero secundum quid. Quod est in hac materia valde notandum, quia hinc expediuntur facili multa, quæ in objectionibus tanguntur, vt statim videbimus.

Ex dictis etiam concluditur, tam Angelum in sua pura natura, quam hominem in statu innocentie, & integræ naturæ potuisse viribus liberi arbitrii sine auxilio gratiæ hunc actum dilectionis Dei naturalis efficere cum omni perfectione illi ex natura sua debita. De Angelis id docet D. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. in corpore, & specialiter explicat ad 4. & eum sequuntur ibi ferè omnes expositores, & communiter Theologi in 2. dist. 3. & 4. Altius lib. 2. Summ. tract. 1. cap. 4. & 6. Alenf. 2. p. q. 31. memb. 2. Et ratio est clara ex dictis, quia actus ille connaturalis est Angelo, & ipse habet naturalem propensionem ad illum, & sufficientem virtutem physicam ad eliciendum illum, vt causam proximam principalem, quæ omnia constant ex dictis. At vero in Angelo ex natura rei nullum erat extrinsecum impedimentum, neq. etiam redderet difficilem, nedum moraliter impossibilem, quia Angelus neque habet internum bellum concupiscentiæ, neq. aliæ difficultates, quæ occurrunt hominibus, in Angelis locum habent; ergo ex nullo capite est illi necessarium auxilium gratiæ ad talem actum eliciendum. Imò sunt qui dicant, ad id esse naturalem hunc actum Angelo, vt sit etiam illi necessarius quoad exercitium. Ex quo aliqui addunt, etiam in Angelis malis esse hunc amorem. Sed hoc posterius improbabile est de amore amicitie, quidquid sit de amore concupiscentiæ. Cum enim amor amicitie, & super omnia includat voluntatem placendi Deo in omnibus, & seruandi eius præcepta, quomodo potest in demonibus manere? Quævis ergo illi Angeli velint Deum, quatenus sine illo ipsi esse non possunt, nec operari, nullo verò modo illum diligunt ex benevolentia naturali, cum potius illum odio habeant. Neque est aliquid, quod cogat dicere, illum amorem naturalem esse necessarium quoad exercitium, etiam in Angelis bonis, seu non malis attenda sola rei natura, quamuis secluso impedimento peccati, & obliuionis, verisimile sit, raro, aut nunquam ab illo actu cessare, de quo in propria materia latius.

De homine in natura integra idem docuit D. Thomas dicta q. 109. ar. 3. vbi ait, potuisse hominem in natura integra diligere Deum super omnia sine gratia, licet non sine auxilio Dei mouentis. Quod aliqui exponunt, sine gratia habituali, non verò sine auxilio speciali per motionem gratiæ. Sed hanc expositionem iam supra exclusimus, & ostendimus, D. Thomam excludere omnem gratiam, vel (vt ibi loquitur) omne gratuitum donum. Quæ vox in rigore comprehendit quancumque motionem gratiæ. Omnem ergo illam excludit, & solum generalem concursum, quem nomine auxilij Dei mouentis intelligit, requirit. Et in hoc puncto est hic sensus manifestè necessarius, tum quia D. Thomas ibi commemorat doctrinam de Angelis, quibus hominem in natura integra in hoc æquiparat, tum etiam, quia in hoc constituit differentiam inter hominem integrum, & lapsum: si autem homo integer indigeret speciali auxilio, nullum esset discrimen, quia etiam homo lapsus potest elicere hunc actum sine habitu gratiæ cum auxilio speciali. Atque ita intellexerunt, & sequuti sunt D. Thomam Conrad. Caietan. Medin. & Valencia, & idem docent Bonauent. 2. d. 3. art. 3. q. 1. & d. 29. q. 1. ad 2. Alenf. 1. p. q. 96. memb. 1. & reliqui Theologi communiter, quos in sequenti capite latius allegabimus. Hoc etiam probat ratio facta de Angelis, quam D. Thom. paucis verbis complectitur, quia diligere Deum, est quiddam connaturale homini; homo autem in statu

naturæ integræ poterat operari virtute suæ naturæ bonum, quod est sibi connaturale, absq. superadditione gratuiti doni, & idè non indigebat tali dono ad diligendum Deum naturaliter super omnia, sed id virtute suæ naturæ facere poterat. Quæ ratio immediate concludit, quoad intrinsecam facultatem, & potentiam physicam, supponit autem in eo statu non fuisse futura impedimenta, quæ nunc sunt in natura lapsa, & idè simpliciter de potestate physica, & morali rectè concludit. De homine verò in natura lapsa, atq. etiam in pura est specialis difficultas, quam in sequenti cap. commodius tractabimus.

Contra hanc verò assertionem citatur Gregor. in 2. d. 29. q. 7. in princip. conclus. 2. quatenus ait, Adam non potuisse facere opus morale bonum sine auxilio speciali. Citatur & Abul. Matth. 19. q. 177. & sequentibus & Alphonsus Viruclius contra Luther. Philippica 5. Veruntamen Gregor. paulò post explicat illud auxilium non distingui à donis, quibus natura integra, & vires eius illæ constituebantur. Quæ expositione non contentus, paulò infra addit gratiam habituatam, dicitq. fuisse sufficientem absq. alio speciali auxilio ad bene operandum, vnde in illo statu non postulat illam specialem motionem, qua Deus applicet voluntatem ad volendum bene, quam in statu naturæ lapsæ requirit, vt ibidem exponit. Cur verò postulet habitum gratiæ, si illa non influit in actum, nec Deus per specialem motionem, non video: cum habitus ipsi, præsertim infusi non operentur, parum, aut nihil iuuent. Solum ergo potuit requiri gratia in illo statu, quatenus fuit fundamentum iustitiæ, & integritatis naturæ, vt supra vidimus, & ita reuoluimur in priorem expositionem, quæ fuit Magistri. Nos autem non negamus adiutorium illorum donorum, sed dicimus, vltra illa, non fuisse necessariam specialem gratiæ motionem, quod etiam Gregorius fateatur, Abulenlis autem loquitur de auxilio generali, vt sæpè dixi, & fortasse de eodem loquitur Viruclius, quem videre non potui, quamuis horum autoritas, et si contrarium sentirent, receptissime assertioni ob stare non posset.

Vltimò ex dictis concluditur, posse liberum arbitrium per se spectatum, & sine impedimento peccati diligere Deum super omnia, etiam amore naturali concupiscentiæ eo modo, quo ille amor esse, aut dici potest super omnia. Hoc ex hypotheli probatur facile, quia longè difficilior est, amare Deum amore amicitie, quam concupiscentiæ: ergo si liberum arbitrium non infirmatum per peccatum potest naturaliter amare Deum per benevolentiam perfecto modo, & super omnia, à fortiori poterit amorem naturalem concupiscentiæ Dei habere perfecto modo, ac proinde super omnia, quantum amor ille capax fuerit.

Difficultas autem est in explicando, quomodo amor ille possit esse super omnia. Et ratio difficultatis est, quia amor concupiscentiæ ad Deum, est amor benevolentie hominis ad se ipsum, & ita illo amore magis se amat homo, quam Deum, quia in omni concupiscentia plus amatur persona, cui concupiscitur bonum, quam ipsum bonum concupitum: quia cui bonum amatur, simpliciter & per se amatur, ipsum autem bonum, quod illi amatur, non simpliciter, sed solum vt sit bonum alterius. Vnde D. Thomas 1. 2. q. 26. art. 4. illum vocat amorem simpliciter, hunc secundum quid.

Nihilominus dicendum est, etiam amorem concupiscentiæ Dei esse posse in suo genere super omnia. I. Vnde refertur D. Thomas 1. p. q. 65. ar. 5. & dicto quodlibet. 1. ar. 8. & quoad hanc partem non improbat. Et ex parte idem sentit Alenf. 2. part. quæst. 30. memb. 1. artic. 2. §. 2. Et declaratur breuiter, nam in primis si comparatio fiat ad omnia alia bona, quæ homo sibi concupiscit, magis debet diligere Deum amore concupiscentiæ, quam cætera bona, quia Deus est maius bonum hominis, quam cætera bona creata, etià ipsi homini intrinseca,

Quid de hoc
mora lapsa,
aut in pura
condicio

Contra tra-
batam affe-
ctionem im-
moralem con-
tra Gregor.
Abulen &
Virucl.

19.
Assertio ad
tota de amo-
re concupi-
scentia.

20.
Quomodo
super omnia
super omnia
concupiscit
esse possit.

21.
Vnde refertur
D. Thom. 1. p.
q. 65. ar. 5.

trinfeca, quia non solum bonum diuinum nobilius in se est, sed etiam est maius bonum ipsius hominis, quia neque ipsum esse posset esse bonum hominis, nisi Deus ipse esset eiusdem hominis bonum. Deinde homo amat sibi Deum tanquam vltimum finem, quo frui appetit, non autem sic appetit cætera bona; imò nec se ipsum, quia magis vult Deo frui, quam se, si rectè amat Deum etiam amore concupiscentiæ, & sub hac ratione etiam diligit homo Deum hoc amore plus quam se. Atque hinc habet etiam hic amor aliam perfectionem, propter quam potest dici super omnia, si sit efficax, nam secum affert intentionem efficacem acquirendi beatitudinem, quæ in Deo consistit. Vnde etiam includit voluntatem absolutam seruandi præcepta Dei, & cauendi peccata, quæ ab illo auerunt, quauis non propter ipsum, sed propter bonum appetentis, hoc autem satis est, vt in suo ordine talis amor sit super omnia, id est, super omnia bona, quæ illi bono beatifico etiam intra naturalem ordinem possent repugnare.

Neque obstat, quod homo diligit Deum sibi, vt propter eam dici possit eo amore plus se diligere, quam Deum. Quia, vt Alensis supra dixit, illa non est duplex dilectio, sed vna, quæ simul ad Deum, & hominem terminatur, & ideo non rectè fit comparatio, nam respectu vtriusque potest dici maxima in suo ordine, scilicet respectu Dei, vt boni concupit, & respectu sui vt subiecti, cui concupiscitur illud bonum. Et hanc etiam responsum attigit D. Thom. 1. 2. q. 2. ar. 7. ad 2. vnde ex illa comparatione solum concluditur, per illum actum hominem amare se, amore amicitiae; Deum verò solo amore concupiscentiæ, quod non est inconueniens, quia satis est, quod alio actu perfectiori possit homo diligere Deum amore amicitiae, & quod id faciat, quando oportuerit, neque enim tenetur semper perfectissimum amorem exercere. Præterea quia eo modo, quo potest fieri comparatio, illa doctrina D. Thomæ, quod amor beneuolentiæ est amor simpliciter, & concupiscentiæ secundum quid, habet locum in bonis creatis, non verò in bono increato, quod est Deus, vt dixi disp. 23. Metaphysicæ sect. 2. n. 8. & idem dixit Medina. 1. 2. q. 2. ar. 7. in fine. Ratio autem optima est, quia quando homo amat Deum sibi, licet in vno genere referre videatur Deum ad se, non tamen vt ad finem, sed vt ad subiectum perficiendum tali bono, vt rectè notauit Caiet. 2. 2. q. 17. ar. 5. & nihilominus eodem amore virtute refert homo se ipsum ad Deum, tanquam vltimum finem, quo frui appetit, quæ habitudo multò perfectior est, & ideo etiam illo amore magis diligitur Deus simpliciter loquendo. Quæ omnia cum proportionem applicata in naturali amore concupiscentiæ Dei locum habent.

Supereft, vt ad rationes contrariæ sententiæ in principio factas respondeamus. Ad primam iam capite præcedenti ostensum est, illud dictum Aristoteli in his habere locum in bonis priuatis, seu respectu amicorum, qui sunt particulares personæ, non verò respectu Dei, cuius amor esse debet regula, & mensura cuiuscunque amoris creaturæ, etiam sui ipsius. Et quauis verum sit, fieri non posse, quin talis amor Dei, & quidquid ex illo sit, non sit per se honestum, ac proinde sit etiam magna perfectio ipsius diligentis, nihilominus hæc ipsa perfectio non est directè amata per talem amorem, sed quasi reflexè, saltem virtualiter, quatenus qui directè amat aliquod bonum, necessariò amat ipsum amorem, ideoque hoc non impedit, quominus Deus ipse per talem amorem directè propter se diligitur. Instabit fortè aliquis, quia si ille amor non esset honestus, non ita amaretur Deus; ergo non magis diligitur Deus, quam honestas talis amoris. Hæc verò obiectio etiam fieri potest contra amorem charitatis, est autem parui momenti, quia conditionalis illa est ex hypothesi impossibili, quæ destruit obiecti diligibilitatem, nam si amor super omnia Dei

non esset essentialiter honestus, nec Deus esset ita diligibilis secundum rectam rationem, & ideo conditionalis illa nihil obstat, quominus talis amor Dei sit super omnia, quia potius hinc habet, quod sit honestissimus, & quod hæc perfectio ab ipso inseparabilis sit.

Ad secundam rationem, quæ est Scoti, respondetur negando consequentiam, quæ ex parte obiecti habet, à Deo cognito vt authore naturæ, ad Deum cognitum vt authorem gratiæ. Quæ illatio, si esset alicuius momenti, potius probaret, dilectionem charitatis non esse in sua specie, vel substantia supernaturalem, quam quod dilectio Dei vt authoris naturæ supernaturalis sit, & ad hoc inducitur argumentum illud ab Scoto, vt libro sequenti videbimus, ad quem locum hæc difficultas magis spectat. Defectus autem illationis est, quia quando Deus proponitur amandus vt author, & finis supernaturalis, non proponitur sub ratione excellentioris boni eiusdem ordinis, sed sub ratione boni alterius ordinis, & principium, à quo, vt sic spectato natura non pendet, neque cum illo habet necessariam connexionem, aut communicationem talis ordinis, & ideo natura per se est insufficientis ad Deum sub tali ratione propositum amandum, præsertim propter se, & super omnia. Quod à posteriori declaratur, quia amor Dei sub tali ratione includit propositum seruandi omnia præcepta supernaturalia, quod est omnino supra vires naturæ, vt postea latius dicemus. Atque ita cognitio Dei per fidem, vel per rationem naturalem multum confert ad distinctionem harum dilectionum, non tam propter diuersum modum cognoscendi eundem vel obsecrum, sed propter diuersam rationem obiecti, quam fides credit, & ratio non potest attingere. Et ob eandem rationem, quauis bonitas, vel perfectio Dei quomodocunque apprehensa, & ad Deum comparata, ipsi connaturalis sit, nihilominus comparata ad nostram voluntatem sub vna ratione pertinente ad authorem gratiæ, est bonum illi supernaturale, sub alia verò pertinente ad authorem naturæ, est bonum in suo genere nobis connaturale, quia licet infinitè excedat nostram naturam, hæc nihilominus habet quandam intrinsecam necessitudinem cum illo, quia est quædam participatio illius, & ab illo essentialiter pendet, & ad illum tanquam ad vltimum finem naturaliter propendit, quæ coniunctio est sufficiens fundamentum ad naturalem amorem, nam seruatur sufficiens proportio inter obiectum, & potentiam, vt satis declaratum est.

Ad tertiam rationem, in qua iterum inferitur illud inconueniens de dispositione ad gratiā, & remissionem peccati, iterum etiam negatur consequentia. Nam quoad eam partem de remissione peccati, in primis non habet locum in Angelis, in quibus nulla fuit vnquam peccatorum remissio. Neque etiam habet locum in homine innocente, siue in natura integra, siue in puris naturalibus, quia licet diligeret Deum super omnia, non se disponderet ad remissionem peccati, cū supponatur illud non habere. Quid a. de homine lapsio respondendum sit, capite sequenti dicam. De dispositione autem ad gratiam facile reddi potest ratio, cur illatio non valeat, quia gratia est supernaturalis forma, hæc a dilectio est actio, aut qualitas naturalis, atque ita est inferioris ordinis, dispositio autem ad formā, debet esse eiusdem rationis cum formā, & ideo illa dilectio nullo modo est dispositio proportionata ad gratiam. Et declaratur amplius, quia illa dilectio fit in Deo vt finem naturali, & radicitur in naturali essentia animæ media voluntate; at gratia est quasi noua natura, seu forma altiori modo participans diuinam naturā, & ipsa est radix altioris amoris media altiori virtute, quæ est charitas, ideoque amor ille naturalis nullo modo est dispositio ad huiusmodi formam. Alia verò difficultas de homine lapsio inferenti capite tractabitur.